



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, deque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Caput I. De fructu ex Dei notitia decerpando.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54508)



CAPUT I.

De fructu, ex DEI notitia
excerpendo.

Nultum egisse hactenus vi-
demur, subeundo, quantum
fas erat, in divinæ penetralia
scientiæ. Sed nihil profectò
egimus, si hoc uno contenti
nullam interea de proprio indè fructu excer-
pendo cogitationem suscipimus. Usque a-
deò nihil egimus; ut hìc subsistentes nequa-
quam potiores ipsomet Lucifero simus: qui
tenebrarum spiritus dicitur, haud quia Condi-
torem suum minimè cognoscit; sed quia pro-
bè cognitum minimè amat. *Si habuero pro-
phetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem
scientiam, charitatem autem non habuero, nihil
sum. (1. ad Cor. 13.)* profitebatur Apostolus:
rite intelligens, DEI Cognitionem perinde
A ad

ad illius amorem referri, ac penicillorum, armorumque apparatus ad pingendi, & præliandi usum refertur: ut propterea, si quis illam ad prædictum suum finem dirigere omittit, nihilo huic inutile minùs dici possit, quidquid sublimium conceptuum, & veritatum in mente congesserit, quàm penicillorum quantacunque, & armorum supellex inutilis diceretur in hominis domo, nulli non arti potius, quàm picturæ, & militiæ studentii. Est, fateor, DEI scientia necessarium, & universale Christianæ perfectionis totius fundamentum. Sed quis ignorat, fundamentum quodvis nullâ poni aliâ, quàm ædificii superextruendi gratiâ, omnique, nisi hoc adjectum fuerit, suo usu, & fructu destitui: utpote illius generis opus, de quo scitè Plinius agebat: *Quidquid peractum non est, pro non inchoato esse.* (Ep. 8. L. 5.) Quemadmodum mera thesauri inventio neutiquam ditiores nos facit, sic neque meliores mera boni cognitio. Quin imò tantùm abest, ut hæc ita solitaria, sibi que uni relicta, emolumenti quidquam ferre, in ea otiosè quiescentibus, valeat; ut irrisione veriùs, & pœnâ dignos faciat: irrisione quidem, ceu deridiculo esse, & publicus populi ludus fieri mereretur, soli-

licitus quispiam defossi vestigator thesauri; si eo tandem reperto divitem sese illico factum, finè ullo pretiosi depositi eruendi, atque in domum suam asportandi studio putaret: pœnâ verò, veluti excellens cognitio, quam perduelles Angeli de infinita authoris sui dignitate insitam menti habebant, minùs excusabiles, & graviori dignos supplicio illos reddidit, dum legitimum abnuerunt deferre tanto Principi obsequium: non habente in eorum causa locum clementi illa deprecatione: *Dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt: (Luc. 23.)* sed potiùs ea tristi sententia: *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis. (Jo. c. 13.)*

2. Cùm igitur DEUS haudquaquam objectum sit merè speculativum, velut cæli, atque sidera, adeò ut illius scientiam mente affectus, ibi possit tanquam in extrema conatùs, & laboris sui meta quiescere; sed objectum, ad quod universi vitæ nostræ actus, quasi ad certissimam bonitatis suæ normam debent respicere: nec proin sterilis quædam curiositas, sed justum spiritualis nostri fructùs studium, ad pervestigandam incomprehensibilem illius essentiam nos stimulaverit; ingentis enim verò stultitiæ esset, si aliquam tanti objecti notitiam

tiam adepti nihil ultra laboraremus, de eadem in usum promenda, deque colligendis inde præstantissimis fructibus, qui ex idonea feminis tam eximii cultura proveniunt: fatuo illi similes apud Gregorium Nissenum viatori, qui dum siti flagrantissima æstuat, (*Or. de sua Ordin.*) gelidum ad fontem appulsus, disquirere secum institueret, quibus è venis, quove artificio natura illos latices exprimat: diuque ita philosophatus, faucibus demum omnino aridis inde abiret, aliquantò fortasse doctior, sed nihilò minùs sitiens, quàm illò accesserit. Nè, quæso, ita vecordes, nostrique immemores boni nos simus: sed, cum in præcedenti libro perspexerimus, quantum æstimationis, reverentiæ, & amoris pro incomparabili suæ naturæ excellentia mereatur DEUS; conemur, quoad licet, hæc illi pendere vectigalia, quæ tanto Domino ad plenum persolvere nunquam possumus, & quorum diligens, ac studiosa solutio totum est illius cogniti pretium: adeò ut, ceu ipse intuendum nobis se præbuit, quasi objectum quibuslibet aliis infinitò intervallò amabilius, colendumque, & æstimandum magis; sic nos ipsum pro suo merito universis, quæ magnifica, & amabilia sese in terris objiciunt, infinitè anteferendum

pu-

putemus: imò, (ut convenientiùs loquar) iis, quotquot sunt, ab animo expulsis, & oblivioni traditis, omnem nostram æstimationem, & observantiam, omnémque cultum, & amorem in eo uno occupemus: tanquam in ente, quod sive secundùm magnitudinem, & potentiam, sive secundùm bonitatem, & pulchritudinem, sive secundùm quamvis aliam peculiarem prærogativam spectetur, non modò supereminet; verùm etiam obscurat, obruitque, & in nihili speciem extenuat, quæcunque extra ipsum occurrunt, remanens in omni perfectionis genere, quasi bonum, *Solum citiùs dicendum, quàm summum.* (Cic. Tusc. 4.) Quod, quantum rationi congruens sit, quòque pacto præstari debeat in duobus ego, qui supersunt, libris explicare contendam: humanam sic omnem vitam ad unum necessarium, & beatam illam revocans, cælestémque unitatem, quam in hujus totius operis argumentum, & scopum mihi initio proposui.

3. Priùs tamen, quàm de actibus ab anima, per cognitionem DEI, erga suum præstantissimum objectum exercendis tractare speciatim aggrediar; operæ pretium duco revocare in memoriam, quam alibi eorundem partitionem in contemplativos, & prácticos

feci. Primi itaque generis sunt, qui vel solum DEI esse pro scopo habent; (cujusmodi sunt magni illum facere, vereri, laudare, deque admirandis illius perfectionibus crebro, & amanter cogitare, fermocinari, gaudere) vel simul cum ipso nonnullas hominum actiones ad ipsum pertinentes respiciunt; (desideria nimirum, ut ab omnibus debitus ei amor, & cultus reddatur, actusque tum lætitiæ de illius inter homines gloria, tum doloris propter offensas, quibus ab humana improbitate continenter laceffitur) vel demum circa aliquem benignitatis suæ effectum versantur: veluti cum gaudemus de illius amicitia, in paterna illius providentia securè, suaviterque acquiescimus, & beatam illius visionem ardenti corde optamus. Quos ego omnes amoris merè contemplativi actus voco, utpote in quibus operantis voluntas, ceu in motus sui termino solet consistere, neque aut illos necessariò ad ulteriorem finem dirigit; aut illorum vi ad aliud quidpiam volendum, agendumve impellitur. Ad secundum porrò genus ii actus pertinent, qui ex DEI quidem amore oriuntur, eumque pro causa sui principie habent: sed tamen unà cum ipso, tanquam secundarium objectum, aliquam itè nostram operationem respectu illius

lius seu aggrediendam, seu vitandam respiciunt: quales sunt charitas erga proximos, peccati cujusque, esto minimi, odium, ardor magna agendi, & patiendi pro DEO, bonorumque mortalium (quatenus ea cor hominis sibi vendicant, nec divino amori vacare totum sinunt) generosa aversatio. Quos actus nequaquam amoris solum contemplativi, sed practici, & actiuosi esse proprios, nemo est, quin perspiciat: cum se ipsis haud contenti in alias operationes diversas ferantur, prout hæ aliqua ratione ad DEUM spectant, qui primum objectum, ultimusque ipsorum est finis.

4. Jam verò, hac divisione præmissa, liquidò apparet, enumeratos primò locò actus per levi negotio, & citra difficultatem exerceri ab iis posse, qui idonea DEI cognitione imbuti sunt. Fac enim, eum quispiam impresum in mente habeat, veluti ens quoddam amabilitatis, & præstantiæ omnino infinitæ; quidnam ità composito exhauriendum laboris erit, ut eundem maximi pendat, reverentiâ, atque amore prosequatur, libens, & admirandus secum ruminet, frequenter, & magnificè in familiari sermone commemoret, injuriâ affici ægre ferat, in pretio, & honore ubique esse cupiat? Certè hujusmodi affecti-

bus nec advertentes naturali, & spontanea quadum propensione commoveri nos experimur, adversus personas omnes, quas novimus, haud vulgari æstimationis, & honoris merito excellere: tantumque abest, ut ad eos concipiendos, magno indigeamus voluntatis conatu; ut laboriosum potius, & violentum nobis foret ab iis temperare. At non simili ingenio, nec perinde exerceri faciles ii etiam sunt actus, quos secundo generi supra attribuimus: utpote quorum scopus, & propositum est, humanos quosque affectus, divini amoris puritati adversantes profligare, nec quid velint, aut nolint, ubi de implenda voluntate DEI agitur, momenti ullius ducere: quin imò universis eorum propensionibus assidue reluctari, eosque, quantum fieri potest, funditus ab animo excindere, ut solus ibi amor divinus quietum sine ullo obice, aut rivali obtineat dominatum. Ad quæ studia generosè suscipienda, & constanter urgenda, quotusquisque non intelligit, quàm eximio charitatis vigore, quàmque singulari cælestis gratiæ adjutorio fit opus?

5. Cùm itaque rectus ordo exigat, inter duo exercitationum genera à faciliore initium ducere; hanc ego mihi methodum circa
mo-

modò dictos amoris contemplativi, & practi-
ci actus servandam proposui: ità ut postero-
res, tanquam naturâ magis arduos, in sequen-
tem librum seponam, inque hoc agere de pri-
mis instituiam, qui ex D E I cognitione per se
illico derivantur, & à quolibet, ea commodè
instructo, (qualem fore quemvis statuo an-
tecedentis libri studiosum Lectorem) exerce-
ri perquam facilè, & suaviter possunt. Cas-
siano siquidem, ipsaque adeò experienciâ te-
ste: *Cujuslibet artis, seu disciplinae perfectio ne-
cesse est, ut à quibusdam mollibus incipiens rudi-
mentis, facilioribus primò, ac teneris initiis im-
buatur: ut quodam rationabili lacte nutrita pau-
latim succrescat, atque ità ab imis ad summa sen-
sum, gradatimque conscendat: quibus, cum fuerit
placida principia, & quodammodo januas arreptæ
professionis ingressa, ad penetralia quoque perfecti-
onis, & excelsa fastigia consequenter, & absque la-
bore perveniat. (Coll. 10. c. 7.)* Quamobrem
supremus mundi Magister, Christus JESUS,
non omnia cælestis doctrinæ suæ arcana Apo-
stolis subito exposuit: sed contentus de non-
nullis captu pronioribus adhuc rudes docere;
plenam magis eorum institutionem in id tem-
pus rejecit, quo per Spiritûs sancti virtutem
paratiores excipiendæ illi forent: *Adhuc mul-*

ta habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem veritatem. (Joa. 16.) Et Paulus Gentium Doctor, tanti Præceptoris normam sequens novitiis Corinthi Fidelibus interpretas prælectiones, tanquam parvulis in Christo, lac potum dedit, non escam. Nondum enim poterant. (Ep. 1. ad Cor. c. 3.) Talis ergo est, quæ tibi, pie Lector, hoc in libro exhibetur materies, suavis, ceu vides, ac mellea, utpote in illo consistens, quo nihil est rationali animæ congruentius, præstantissimi, amabilissimique omnium objecti interiore cultu, & amore. Sed materies æquè itidem fructuosa: quippe quæ, præter excellens hujuscemodi actuum meritum, assuefaciet te, gustare, quoniam dulcis est Dominus, pèrque delectationem, quam indè hauries, minùs jam, minùsque affici sensibilibus bonis: habiliorem, promptiorémque ità reddens, ad suscipienda deinde forti animo difficillima quæque subsequentis libri exercitia. Non tamen celatum te velim inter actus primi generis, qui propria sunt præsentis libri materies, aliquos me pariter inferturum, ad alterum genus spectantes, cujusmodi est præcipuè odium, ac fuga peccati: ceu maximi rem momenti, & omnibus, qui amo-

amori divino, sive contemplativo, sive practico operam navant omnino necessariam: ut nemo proinde sanctioris vitæ cultor non assidue illam debeat, quasi summam summarum curam habere præ oculis. Præterquam quòd videtur illa ipsa, licet sit propriè affectûs practici species, posse nihilominus absque ordinis propositi confusione inter faciliores amoris divini exercitationes, quales contemplativæ sunt, collocari. Cùm experientia luculenter ostendat, non adeò factu arduam, & rari exempli rem esse, ut, qui aliquos in DEI cognitione progressus jam fecerit, quamcunque illius gravem offensam nullo non malo impensius perhorrescat, & vitet.

C A P U T II.

D E U M super omnia æstimandum, imò nihil, præter ipsum, in magna æstimatione esse habendum.



Uàm ultra omnem modum, ac proportionem increatum DEI esse creata quævis entia supergrediatur, utque omnis horum dignitas illi comparata nihilum potius, quàm
rem